

totalitate (ut vocant) effectus est a Deo et ab arbitrio nostro, tanquam a duabus partibus unius integræ causæ tam actionis quam effectus. Et eandem doctrinam repetit disp. 8, circa quæst. 23, memb. 8, § Secundum est, et § Ex his omnibus.

Quocirca, quando illis locis utitur exemplo duorum trahentium navem, solum illud adducit ad explicandum quomodo plures causæ possint esse partiales ex parte causæ integræ, id est, comparatione collectionis seu multitudinis concurrentium causarum, et nihilominus non esse partiales ex parte effectus, id est, nullam partem esse in effectu, quæ non fiat a quocumque illarum causarum. Nec vero ignoravit Molina exemplum non esse simile in omnibus. Nam concursus plurium trahentium navem est accidentarius, ex aliquo defectu vel contingentia, non ex necessaria subordinatione, quæ est inter Deum et creaturam, gratiam et liberum arbitrium. Unde fit ut illi trahentes navem sint causæ omnino partiales in omni genere; aliæ vero, licet respectu totius collectionis sint partiales, in suis generibus sunt totales, scilicet, in genere causæ primæ et secundæ, seu in genere causæ principalis vel connaturalis, et instrumentariæ seu elevatæ, quod disput. 27 et sequentibus idem Molina prosequitur.

CAPUT IV.

QUAMVIS SOLA GRATIA NON PRÆDETERMINET VOLUNTATEM HUMANAM, NIHILOMINUS PHYSICE EFFICERE CONSENSUM EJUS ET DETERMINATIONEM AD ILLUM.

Davila, lib. 1 de Auxiliis, cap. 19, pag. 229; cap. 20, pag. 236; cap. 22, pag. 276; cap. 26, pag. 38; c. 10, pag. 89. — Quoniam nos negamus dari auxilium efficax, se solo et vi sua physice prædeterminans voluntatem, imponunt nobis adversarii quod etiam negemus auxilia gratiæ physice adjuvare nos ad consensum vel determinationem ejus, sed ad summum moraliter. Ita dixit de nobis sub nomine quorundam Theologorum F. Davila: *Dicunt (ait) auxilium efficax nequaquam efficiens esse seu physicum, sed morale.* Imo inferiorius addit: *Nullam in re motioni Divinæ gratiæ efficaciam tribuunt.* Et quod gravius est iterum dicit: *Avunt liberum arbitrium sine Deo realiter et physice efficiente operari.*

Quas propositiones adversarii tribuant auctori, cap. 11, p. 116; cap. 13, p. 139; cap.

24, p. 334; c. 26, p. 362. — Ex quo sequentes propositiones nobis tribuit: *Adstruere non verentur hominem ex sola innata sibi libertate divinæ gratiæ consentire, et se ad illam ultimam dispositione præparare.* Item: *Liberum arbitrium solis suis viribus edere suæ operationem salutis.* Item: *Actum conversionis suæ a semetipsis habere gloriantur; qui non divino auxilio, sed suo libero arbitrio operandi virtutem efficacem impendunt.* Item: *Juxta hanc opinionem voluntas sola et ex se est suæ conversionis et justificationis causa.*

Ad art. 4, q. 18, 2 p., disput. 6, dub. 4, n. 4. — *Ex quo principio prædictas propositiones inferant.* — Atque eodem sensu dixit de nobis Petrus Cabrera: *Adversarii supponunt, quamvis Deus moveat et excitet voluntatem, hoc autem quod est consentire non habere ex efficacia Divini auxilii, sed ex seipsa et ex innata libertate; et iterum: Ex duobus æqualiter adjutis, quorum unus concertitur et alter non concertitur, unus eorum, juxta doctrinam M. Suarez, in se habet, et ex suo libero arbitrio, quo se discernat, quia efficacia Divini auxilii non ex Deo, sed ex libero arbitrio procedit; et ideo alibi de nobis ait, solum tribuere conversionem Deo, et non soli voluntati, quia indiget auxilio sufficienti seu præveniente; et nominatim hoc tribuit mihi et Ruardo. Ut hæc omnia prorent, nulla nostra verba afferunt. Omnia ergo inferunt ex illo principio, quod negamus, habere præveniens auxilium physice efficacitatem ad prædeterminandam se solo nostram voluntatem.*

Quot defectus in hac illatione committantur. — *Primus defectus.* — Non est autem difficile ostendere quot defectus in illatione committantur. Nam imprimis fit argumentatio ab inferiori ad superius negative, ut aiunt, quia, ex eo quod gratia præveniens, seu excitans non habeat efficaciam physicam, inferitur auxilium gratiæ illam non habere; cum tamen auxilium gratiæ non præveniens, sed concomitans, possit habere hujusmodi efficaciam physicam, etiamsi auxilium præveniens illam non habeat. Unde multo minori apparentia inferitur liberum arbitrium efficere actus suos sine Deo realiter influente; esto enim daremus Deum per auxilium præveniens non influere physice in hos actus, potest influere per alia auxilia concomitantia, et per generalem concursum ordinis gratiæ.

Secundus defectus. — Deinde fit argumentatio virtualiter in quatuor terminis, quia nimirum termini positi in antecedenti, prout po-

nuntur in consequenti, non idem significant. Quod primo ad hominem ita declarari potest, quia, juxta opinionem ipsorum, determinatio liberi arbitrii ad consentiendum quippiam distinctum est ab ipso consensu; nam illa determinatio non est actio vitalis nec libera, et fit a solo Deo in voluntate passive se habente; consensus autem est actus vitalis et liber; hæc autem tanta diversitas esse non potest sine aliqua distinctione in re inter determinationem et consensum. Quamvis ergo nos negemus vel auxilium præveniens vel Deum ipsum habere efficaciam physicam circa talem determinationem, quia credimus illam esse fictitiam, et sine fundamento excogitatum, et destruere libertatem, et veram gratiæ efficaciam et sufficientiam, non potest inde vel apparenter inferri nos negare Deum vel auxilium præveniens habere efficaciam physicam in ipsum consensum, et in veram determinationem ad illum, quia a diversis (ut inquit) non fit illatio.

Tertius defectus. — Secundo, declaratur idem ex æquivocatione illius termini, *efficacia physica*; nam significare potest, vel actualem efficientiam per influxum realem ac physicum, vel determinationem ad unum ipsius principii vel auxilii, cum tanta vi connaturali ac physica, ut secum necessario ferat vel determinet potentiam ad agendum. Quando ergo nos negamus efficaciam physicam in auxilio præveniente, loquimur hoc posteriori modo; qui autem nobis illos errores imponunt, loquuntur de efficientia physica priori modo. Nec verisimile videri potest ipsos ignorantia laborasse in hujusmodi æquivocatione, cum evidenter in nostris libris legant dari auxilium efficax, id est, physice efficiens supernaturales actus liberi arbitrii; cumque doctor Molina, in quem maxime invehuntur, ex professo doceat in sua Concordia, excitantem gratiam transire in adjuvantem physice efficiendo consensum simul cum libero arbitrio. Videntur ergo auctores illi voluisse illa specie verborum invidiam et infamiam nostræ sententiæ ac doctrinæ generare, ut lectores præsertim minus eruditos ac perspicaces deteriorent. Quod semel dictum sit, propter plures alias rationes erroneas, quas defensores physice prædeterminationis nobis imponunt, ut in sequentibus videbimus.

Deus ut supernaturalis causa et prima, physice et realiter efficit actus nostros supernaturales. — *Liberum arbitrium nihil supernaturaliter potest efficere sine Deo physice efficiente.*

— Nos ergo, secundum veram et Catholicam doctrinam sentimus Deum, ut supernaturalem causam et primam, et suo modo proximam principalem, vere, physice et realiter efficere actus nostros supernaturales, ac determinationes ad illos; nostrumque liberum arbitrium nihil supernaturaliter posse efficere sine Deo physice efficiente, duplici ratione. Prima est, quia arbitrium creatum est causa secunda, ac proinde dependens in agendo ab influxu physico causæ primæ in suam actionem. Hæc autem dependentia est proportionata effectui et actioni; ideoque si actus liberi arbitrii supernaturalis esse debet, necesse est ut supernaturaliter etiam pendeat a Deo, ut causa prima ordinis supernaturalis, quæ causalitas superat omnem illam quæ debetur naturali virtuti liberi arbitrii, et ideo gratuita est, seu ad ordinem gratiæ spectans. Secunda ratio est, propter defectum virtutis activæ, quam liberum arbitrium ex natura sua habet respectu supernaturalium actuum. Nam cum sit inferioris ordinis, non potest habere innatam virtutem naturalem sufficientem ad hujusmodi actus; necesse est ergo ut Deus illam suppleat, et consequenter ut physice concurrat, non solum exercendo munus causæ primæ, sed etiam supplendo defectum causæ proximæ, sub qua ratione dicimus habere Deum locum causæ proximæ principalis.

Duo modi divinæ efficientiæ. — Est autem inter hos duos modos divinæ efficientiæ notanda differentia, nam prior efficientia physica, quatenus influxus Dei est, necessario procedit immediate a Deo, et a sua virtute intermedia creata virtute superaddita voluntati; quia influxus primæ causæ, ut sic, incommunicabilis est virtuti creatæ. Nam eo ipso quod virtus creata sit, consequenter pendet ab actuali juvamine, et influxu primæ causæ. Posterior autem efficientia et potest fieri a Deo, et regulariter fit per virtutem aliquam creatam, vel principalem, vel instrumentarium infusam voluntati creatæ, quia hoc non repugnat, et ad suavem Dei providentiam spectat dare causis secundis intrinsecas virtutes operandi, quoad comode fieri potest. Atque hoc modo efficit Deus in justis per habitus gratiæ infusos supernaturales actus, qui dicuntur fructus justitiæ; et in peccatoribus fidelibus efficit actus fidei et spei, et, ut ego opinor, actum timoris gehennæ, et attritionis ex illo procedentis, per physicam efficientiam habitus fidei et spei.

Primus actus supernaturales fidei, spei, charitatis, etc., a quo principio supernaturali proximo procedat. — De primo autem actu supernaturali, vel fidei, et voluntatis credendi et sperandi, quem habet is qui convertitur ab infidelitate ad fidem, et de primo actu charitatis vel contritionis, quem habet fidelis peccator, cum ad justificationem se perfecte disponit, et de quocumque supernaturali actu virtutum moralium vel donorum Spiritus Sancti, si contingat fieri a peccatore, de his (inquam) omnibus actibus controversum est a quo principio supernaturali proximo procedant. Certum est enim procedere ab aliquo, quod impotentiam nostræ voluntatis adjuvet, ut dictum est; an vero illud increatum sit, id est, Deus ipse nostræ voluntati assistens, et cum illa singulariter cooperans, vel aliquid creatum voluntati inditum per modum habitus, aut per modum actus primi transeuntis, vel per modum excitantis ac prævenientis gratiæ, quæ, annuente voluntate, cum illa physice cooperetur, et induat rationem gratiæ adjuvantis, controversum est. His enim modis opinati sunt Theologi, et quicumque illorum potest sine præiudicio fidei defendi, et unusquisque etiam illorum sufficit ut vere dicatur Deus physice ac principaliter efficere in nobis et nobiscum per gratiam suam supernaturales actus etiam conversionis et fidei, licet non efficiat physice sola sua virtute in libero arbitrio præviā determinationem ad illos.

Instantia. — Sed fortasse instabit aliquis, quia licet, juxta hanc doctrinam, recte defendamus Deum per auxilium concomitans physice influere in supernaturales actus liberi arbitrii, non salvamus auxilium præveniens physice efficere eosdem actus, quod tamen necessarium est; quia Scriptura dicit *Deum facere ut faciamus*, et dare *velle et perficere*, quæ denotant physicam et veram efficientiam, cum tamen constet hæc omnia facere Deum per gratiam prævenientem.

Responditur. — Respondemus primo eandem gratiam prævenientem, quando cooperatur voluntati, transire in adjuvantem, satisque esse quod sub hac posteriori ratione physice efficiat nostros actus, neque aliud colligi posse ex citatis testimoniis. Nam quod gratia præveniens, ut præveniens est, non efficiat physice consensum, sed moraliter inclinet et attrahat voluntatem, satis explicuit Augustinus in d. q. 2 ad Simplicianum, dum totam efficaciam prævenientis gratiæ tribuit vocationi,

quæ eo modo alicui datur, quo aptum erat ei, qui illam erat secuturus; et in libro de Spiritu et littera, capite trigesimo quarto, dum ait: *Visorum suasionibus agit Deus ut velimus et ut credamus*, etc. Et tractatu vigesimo sexto in Joannem, ubi explicat trahi hominem ad Christum, eo modo quo trahit sua quemque voluptas, et aliis innumeris locis. Et necessario ita esse dicendum potest ratione ostendi, quia gratia excitans, ut sic, antecedit, vel natura, vel etiam tempore determinationem et consensum voluntatis; ad hoc enim Deus tangit cor per hujusmodi gratiam prævenientem, ut illud ad consentiendum inducat; ergo in hujusmodi gratia, ut est tactus cordis, nondum intelligitur efficientia physica in consensum, sed solum moralis inductio et attractio, cui potest liberum arbitrium non obedire, ut Concilium Tridentinum dixit, quod est evidens signum tactum illum antecedere priusquam physica efficientia consensus inchoetur. Quod si postea liberum arbitrium obediatur, licet cum illo concurrat præexistens excitatio, jam habet rationem gratiæ adjuvantis, ut dictum est.

Gratia excitans realiter et physice fit a Deo in hominis voluntate. — Est autem considerandum quod ipsamet gratia excitans, quam dicimus moraliter inclinare voluntatem ad consensum, realiter et physice fit a Deo in hominis voluntate, quia ipsamet excitatio est realis et supernaturalis effectus, cujus propria causa est Deus. Atque hoc in rigore satis est ut dicere possimus Deum physice facere ut velimus, quia per physicam efficientiam facit id quo moraliter inducimur ad volendum, et quia ipsamet motio gratiæ excitantis physice nos afficit, quamvis ad ulteriorem actum non physice compellat; præterquam quod (ut infra dicam) causalitas moralis sufficit ad proprietatem et rigorem illarum locutionum: *Faciam ut faciatis*, et similia; illæ vero: *Deus est qui operatur in nobis velle*, et similes, de physica efficientia per gratiam adjuvantem et concursum Dei probe intelliguntur.

Non esse necesse ut propria gratia præveniens postea influat in actum liberi consensus. — Unde addo ulterius ex vi omnium locutionum Scripturæ, Conciliorum aut Augustini, necessarium non esse ut propria gratia præveniens, quæ est realis motus nostræ voluntatis, excitans illam, postea influat in actum liberi consensus, per physicam efficientiam

adjuvando ipsum liberum arbitrium. Nam de his motibus Scriptura solum dicit Deum per illos pulsare et tangere cor hominis, expectando ipsum ut consentiat; et Deum etiam hominem juvare cum ipse consentit. Quod autem Deus juvet physice efficiendo consensum per ipsum tactum cordis, tanquam per principium proximum ipsiusmet consensus, hoc nec Scriptura dixit, nec Augustinus alicubi insinuat, nec per se est admodum verisimile, ut in libro tertio de Auxiliis, capite quarto, declaravi. Solum ergo necessarium est ut intelligamus Deum, eo ipso quod liberum arbitrium excitat per prævenientem gratiam, esse paratum ad juvandum illud si consentire velit, et actu juvare cum consentit, sive adjuvandum illud actuale, prout recipitur in homine, manet immediate a Deo quoad primos actus conversionis, sive media qualitate creata, ut dictum est.

Objectio. — Dices Concilium Tridentinum, sessione sexta, significare gratiam adjuvantem esse aliquid creatum animæ inhærens, non minus quam gratiam excitantem; ergo non satis est dicere Deum per seipsum adjuvare voluntatem a se excitatam; nam hoc est dicere Deum esse gratiam adjuvantem; unde fieret adjuvantem gratiam non esse quid creatum, ut Concilium significat. Nam in capite quinto declarat adultos peccatores gratis a Deo vocari, *ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponantur.* Imo ex illo relativo, *eidem*, colligunt aliqui unam et eandem gratiam esse excitantem et adjuvantem, quæ duplex munus habet, et ideo illa duplici voce nominatur.

Solvitur. — Sed, licet hoc ultimum in se probabile sit, ex illo verbo Concilii non colligitur. Nam relativum illud indefinite refert gratiam Dei, sive sit una, sive duplex, et intelligitur virtualiter repeti juxta illud duplex verbum, *assentiendo et cooperando*: nam primum positum est propter excitantem gratiam; secundum propter adjuvantem, et sensus est, *ut eidem gratiæ excitanti assentiendo, et eidem gratiæ cooperanti cooperando disponatur.* Unde non necessario sequitur excitantem et adjuvantem gratiam inter se esse unam et eandem, sed solum sequitur eandem esse gratiam qua homo excitatur, cui homo assentitur, et similiter esse eandem quæ hominem juvat, et cui homo cooperatur.

Gratia, quæ prius excitat voluntatem postea juvat illam moraliter. — Deinde, licet verum sit eandem gratiam, quæ prius excitat voluntatem, postea juvare illam moraliter, quatenus cum actu libero perseverat, nihil repugnat præter eam dari aliam gratiam, quæ physice juvet voluntatem ad efficiendum actum; qualis revera est habitus in his actibus, qui a justitia habituali jam comparata procedunt, vel id quod supplet vicem habitus in prioribus. Et eadem ratione, licet gratia adjuvans sit quid creatum seu illud includat, tum quoad morale adjuvandum quod præbet gratia excitans, tum etiam quoad actualem influxum et efficientiam in ipsummet actum conversionis (nam constat illam esse creatam, cum a Deo efficienter fluat, et optime potest nomine adjuvantis gratiæ appellari, cum revera juvet voluntatem), nihilominus potest optime gratia adjuvans includere aliquod principium proximum increatum, quando necessarium illud fuerit.

Homo se disponit per Dei excitantem atque adjuvantem gratiam. — Neque in Concilio Tridentino est aliquod verbum cui hoc repugnet. Nam in illo capite quinto solum dicit hominem se disponere per Dei excitantem atque adjuvantem gratiam. Qualis vero sit utraque gratia, et quomodo inter se distinguantur non declarat, sed relinquit explicandum juxta earum exigentiam. Unde si illa particula *per* dicat causam formalem, constat adjuvantem gratiam esse creatum quid, quia dicit ipsummet actum conversionis, ut manentem a Deo, seu influxum Dei in talem actum. Si autem dicit principium efficiens, sic potest includere principium aliquod increatum, scilicet ipsum Spiritum Sanctum, de quo idem Concilium, canon. 3: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio. etc.*, ubi relativum *ejus* Spiritum Sanctum refert. Ipse ergo Spiritus Sanctus potest esse sufficiens principium proximum, physice et efficienter adjuvans ad primos actus, qui sunt dispositiones ad justitiam.

Gratia excitans potest habere efficientiam physicam dependentem suo modo ab influxu liberi arbitrii. — Ultimo vero addimus controversiam hanc de prædeterminatione liberi arbitrii per gratiam excitantem, nihil pendere a questione de efficientia physica prævenientis gratiæ circa actum conversionis, tum quia (ut ostensum est) potest gratia excitans habere efficientiam physicam dependentem suo mo-

do ab influxu liberi arbitrii, id est, ejus cooperationem postulantem; cum tamen illud non determinet ad talem cooperationem, sed potius illud sub perfecto ejus dominio relinquat; sicut etiam habitus charitatis habet efficientiam physicam in actum, non tamen sine cooperatione potentiae, ad quam cooperationem habitus non determinat potentiam, licet eam inclinet, sed potentia utitur habitu cum vult; tum etiam quia, licet e converso gratia excitans non ponatur physice efficiens conversionem, et nihilominus fingatur, seu asseratur omnino determinans voluntatem ad consentiendum, ita ut posita excitatione, voluntas non possit non consentire, propter aliquam sympathiam, vel necessariam consensionem, eadem incommoda sequuntur, propter quæ non minus est vitanda talis determinatio; possetque physica appellari, quia talis excitatio, ex vi suæ entitatis et physicæ adhæisionis ad potentiam, illam determinaret ad actum, et consequenter ejus libertatem tolleretur, quamvis ejus actum physice non efficeret.

Optime stare potest efficientia physica prævenientis gratiæ sine prædeterminatione physica. — Quod potest declarari exemplo; nam, juxta sententiam receptam Theologorum, intentio efficax finis infert necessitatem eligendi medium, quod est unicum et necessarium ad consequendum finem; et quamvis inter eosdem Theologos sit opinionum varietas, an intentio vere ac per se influat physice et effective in electionem, vel solum proveniat illa necessitas ex sympathia et consensione illorum actuum, nihilominus omnes fatentur, quod verum est, intentionem illam omnino physice determinare potentiam ad talem electionem. Est igitur (quod valde notandum est) controversia hæc, de prædeterminatione physica, longe diversa ab altera de efficientia physica prævenientis gratiæ circa actum conversionis; optime ergo stare potest hæc efficientia sine illa prædeterminatione.

Ex his satis responsum est ad objectiones, vel potius falsas impositiones illorum auctorum, neque necesse est singulas illarum propositionum per se refutare, cum manifestum contineant errorem. Minus vero necessarium est ab illo nos errore defendere, cum nullum ejus vestigium vel in nostris libris, vel alterius Doctoris ex citatis invenitur, sed contrariam sanam doctrinam ex professo doceamus, et collectio illa omnino sit frivola, ut ostensum est. Quæ omnia ex dic-

tis in superiori capite evidentiora fiunt, ubi specialiter comparatio illa inter duos, quorum unus convertitur, et alius non convertitur, declarata est.

CAPUT V.

INITIUM SALUTIS NON TRIBUI LIBERO ARBITRIO
JUXTA SENTENTIAM DE VOCATIONE CONGRUA,
SED DEO VOCANTI.

Alius error nobis ab eisdem auctoribus attributus est, quod cum Gallis, Semipelagianis, seu reliquiis Pelagianorum, initium salutis aut operum pietatis, non gratiæ, sed libero arbitrio tribuamus. Unde Franciscus Davila ita loquitur, in præem., p. 6, c. 9, p. 79: *Hinc sententiæ Gallorum his temporibus multi Theologi videntur acquiescere et subscribere.* Et iterum, c. 11, p. 97 et 100; c. 12, p. 149: *Contrariæ sententiæ auctores eandem quam Galli amplexati sunt sententiam;* et alibi ait esse eandem vel pejorem. In aliis vero locis, ut explicet consensionem et identitatem harum sententiarum, dicit de nobis: *Pro sua libertate operando fundamenta jaciunt, ædificium inchoant, quod Deus incæptum debeat extruere.* Et alibi in hoc dicit nos superare Gallos, quod illi solum initium fidei sibi adscribebant, nos vero et fidei et omnium operum pietatis, cap. 10, p. 8 et seq.; c. 18, p. 129; c. 13, p. 135; c. 14, p. 131; c. 25, p. 331: *Quia consentitur (dicit de nobis) initium operationis bonæ ita esse meum, ut non sit Dei moventis.* Hinc consequenter nobis tribuit, quod asseramus voluntatem in operando gratiam præcedere, et liberum arbitrium gratiam prævenire operando, saltem prioritate naturæ; gratiam vero subsequi tanquam pedissequam, et voluntati subjectam, quod Galli senserint. Unde alibi ait, cap. 9, p. 81, et c. 10, p. 83, c. 11, p. 102 et 103: *Hos Theologos (nos utique intelligit) ponere gratiam sufficientem, quæ liberi arbitrii velle præcedat in ratione entis, non autem in ratione causæ, ita ut in imaginatione horum Theologorum, licet in essendo prior sit gratia quam influxus liberi arbitrii, in operando sit posterior.*

Simili modo Cabrera, in suo libro cum dixisset, juxta nostram sententiam, efficaciam auxilii non esse ex Deo, sed ex libero arbitrio, subinfert, juxta eandem sententiam efficax salutis initium refundi in nos; sed hæc illatio procedit ex antecedenti nobis falso im-

posito, ut supra ostensum est, et idéo nihil de hoc auctore curamus. Præterquam quod non loquitur de initio simpliciter, sed de initio efficaciam, quod potius est quædam summatio, et ideo in suo genere tribuendum est libero arbitrio, quamvis non soli, ut ex dicendis in hoc eodem capite constabit.

Rejiciuntur quedam falso imposita auctori. — Prior etiam auctor nihil horum quæ refert legit in nostris libris, vel aliorum Doctorum Societatis, qui de hac materia his temporibus scripserunt. Et ita ipse nullum auctorem vel locum in particulari refert; sed omnia illa dogmata suo discursu colligit, ex hoc solo principio quod asserimus liberum arbitrium, quantumvis efficaciter a Deo motum et excitatum, non determinari in re ipsa a solo Deo, imo determinationem ad liberum consensum post gratiam excitantem non prius fieri a Deo quam a libero arbitrio, nedum a solo Deo fieri. Quam illationem tam evidentem esse credidit, ut sufficere putaverit ad affirmandum nos confiteri illum errorem, et cum Gallis sentire.

Salutis initium unde sumendum sit. — Ut autem certa rei veritas constare possit, statuere oportet aliquid firmum et fixum de initio salutis fidei et boni operis, quid nimirum per illam vocem significemus; alioqui semper in æquivoco laborabimus. Illius autem vocis significationem ex Conciliis et Patribus, præsertim Augustino et Prospero, sumere debemus; tum quia in disputatione cum Semipelagianis usus terminorum ab illis Patribus sumptus est; tum quia si alicui liceret aliam significationem illi voci imponere, æquivocam et incertam redderet Conciliorum definitionem, et occasionem dare posset introducendi falsam doctrinam, ut ex dicendis constabit. Concilium ergo Tridentinum, sessione sexta, capite quinto, satis disertè nobis declaravit quod sit, vel unde sumendum sit salutis initium, dicens: *Declarat præterea ipsius justificationis exordium in adultis a Deo per JESUM Christum, præveniente gratia, sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur.* Ex quibus verbis evidenter constat initium salutis, juxta Concilii doctrinam, non esse sumendum a determinatione libera voluntatis, sed a vocatione et præveniente gratia.

Nullum naturæ bonum potest primam gratiam auxiliantem promereri ex Patribus. — Concilium Arausicanum, can. 7. — Et revera

hæc fuit olim proprie controversia Gallorum cum Augustino, ut constat ex citatis Epistolis Prosperi et Hilarii, et ex responsione Augustini in libro de Prædestinatione Sanctorum et de Dono perseverantiæ. Galli enim dicebant, quamvis ad opera supernaturalia necessarium sit ut Deus nos præveniat et adjuvet, nihilominus oportere ut homo per liberum arbitrium se disponat, et aliquo modo promereatur primum auxilium Dei petendo, desiderando, aut aliquod simile bonum suis viribus et libertate præstando; et hoc modo subiciebant gratiam voluntati, ejusque pedissequam faciebant; ac denique initium salutis ponebant in illo actu bono liberi arbitrii. At vero Augustinus et Patres semper intellexerunt nullum naturæ bonum posse primam gratiam auxiliantem promereri. Et ideo contra Gallos statuerunt initium salutis non libero arbitrio, sed Deo vocanti ascribendum esse, et ratione vocationis gratiam semper præire, voluntatem vero ejus pedissequam esse; et hoc est quod Arausicanum Concilium secundum contra Semipelagianos directe coactum definit, canon. tertio, dicens: *Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaie et Apostolo, etc.*, et in eodem sensu ait, canon. quarto, *Deum non expectare voluntatem nostram ut a peccato purgemur, sed ipsum per Spiritus Sancti inspirationem et operationem facere ut purgari velimus, juxta illud: Præparatur voluntas a Domino, de cujus decreti intelligentia plura inferius dicemus.* Et deinde, canon. quinto, definit non solum profectum, sed etiam initium fidei esse ex gratia. Explicat autem initium fidei esse ipsum credulitatis affectum, per quem non solum intelligit deliberatam voluntatem credendi, quæ in fide ipsa jam computatur; sed etiam quamcumque præviam bonam dispositionem voluntatis, per quam paulatim allicitur ad fidem, et fit docibilis Dei, qui dat suavitatem credendo, et præparat voluntatem ut velit. De hac enim præparatione semper loquitur illud Concilium, et illam vocat initium bonæ voluntatis, tam in credendo quam in obediendo, desiderando, petendo, etc. Idemque definit, can. 6 et sequentibus, qui fere omnes sumpti sunt ex doctrina Augustini, et fere habentur in libr. Sentent. ejusdem Augustini.

Vocatio bonam voluntatem præcedit. — Atque eodem modo idem Augustinus, in quæ-